



DISPUTATIO THEOLOGICA

Pro V. Art. Libri Concordiæ.

De

LEGE ET E-  
VANGELIO,

QUAM

DEO Opt, Max, Benedicente

PRÆSIDE

GEORGIO C. ALANO

In Regiâ Academiâ Aboënsi S.S. Theologiæ  
Professore Ordinario.

*Publicè Eventilandam proponit*

Andreas Thuronis Kyroënsis  
FINNO.

*Ad diem 10. Octobris Anni 1652, horis Ma-  
tutinis, in Auditorio Majori.*

A B O Æ

---

*Excudebat Petrus Wald/ Acad. Typogr. 1652.*

*Reverendis, Venerabilibus, Humanissimis  
& Prudentissimis Viris.*

**Dn. Simoni B. Cardiastro, Pasto-  
ri in Gumo vigilantissimo.**

**Dn. Thuroni Theodorici, Pasto-  
ri in Kyro fidelissimo, Patri charissimo.**

**Dn. Abrahamo Josephi Pastori  
in Försvis attentissimo.**

**Dn. Simoni Mich. Keplero, Pasto-  
ri in Pungalaito Solertissimo,**

**Dn. Thomæ Bartholli, V. D. Mi-  
nistro in Hvitvis diligentissimo.**

**Dn. Henrico Martini Lund/ redi-  
tuum Academiae Aboensis exactori perfido:**

*Dn. Promotoribus, Patri, Benefactoribus & ami-  
cis suis plurimum honorandis, amandis.*

Disputationem hanc Sacram in signum gratitudi-  
nis pro beneficijs in se collatis inscribit & offero

**ANDREAS TH. KYTROENSIS**  
*Finnø Resp.*

DISP. PRO VI, ARTICUL;  
LIBRI CONCORDIÆD E  
TERTIO USU LEGIS  
Thesis I.

Q uamvis legem Dei non possimus perfectè in hac vita implere; & ex ea coram Deo justificari; usus tamen ejus est longè maximus, & amplissimus. *Scimus bonam esse legem, si quis ea utatur vovimus, 1. Tim. 1, 8.* Omnino igitur necessarium est, ut doctrina de vero usu legis, ex veris fundamentis scripturæ Sacræ exstructa, accurata diligentia explicetur.

H. Hanc proinde doctrinæ cœlestis partem, ut sibi familiarem reddant, qui aliorum futuri sunt doctores, B. Lutherus in cap. 3. Epist. ad Gal. graviter monuit, inquiens: *Admonco pietatis amatores; præcipuè, qui aliquando aliorum, futuri sunt doctores, ut diligenter ex Paulo discant intelligere verum ac proprium legis usum qui ( ut timeo ) post tempora nostra, iterum obscurabitur & prorsus ob. u. tur. Nam nobis adhuc viventibus, & summâ diligentia utriusq; legis & Evangelij, officium, & usum, monstrantibus, tamen per pauci sunt etiam inter illos, qui pñ videri velunt, & nobis cum profitentur Evangelium, qui ista rectè teneant. Quid futurum putatis nobis ablati? Hæc ille,*

III. Tres autem distinctos legis Moralis usus sive fines respectu hominum dari, in Libris Ecclesiarum nostrarum, Symbolicis, constans & recepta sententia est. Primus πολιτικός 2. ελεγκτικός 3. διδακτικός dici solet.

IV. Politicus est, qui in Externa disciplina versatur, & omnes homines coercet, inprimis verò Ethnicos, & non renatos, ut caveant manifesta scelera; Ne prorumpant in Cædes, adulteria, furta & alia horrenda flagitia quibus honestas & tranquillitas vitæ humanæ turbetur sed in externo obsequio hoc legis freno contineantur.

V. Spectat hic usus potissimum homines feros, intractabiles & flagitiosos, id quod & Paulus approbat. 1. Tim, 1. v. 9. Ubi dicit: *Lex justo non incumbit, sed sceleratis & subijci nescijs & peccatoribus, nefarijs, impijs & profanis, parricidis & Matricidis, Homicidis, scortatoribus, Masculorum Concubitoribus, Plagiarijs, Mendacibus & Perjuris &c.*

VI. De quo usu legis notatu digna sunt verba D. Lutheri, in 3. cap. Gal. Tom. 3. Wittenberg: lat. fol. m. 357. Primus, inquit, usus & intellectus legum est, coercere impios. Diabolus enim regnat in toto orbe terrarum, & impellit homines ad omnis generis flagitia. Ideò Deus ordinavit Magistratus, Parentes, Præceptores, leges, vincula & omnes ordinationes civiles, ut si non possint amplius efficere, revinciant saltem Diabolo manus, ne pro libidine sua ita sæviat in suis. Sicut ergò hominibus obsessis, in quibus Diabolus potenter regnat, vincula & catenæ injiciuntur, ne quem lædant, sic toti mundo, qui obsessus est à Diabolo, & præceps fertur

fertur in omnia scelerata, adest Magistratus suis vinculis & catenis, h. e. legibus cohibens manus & pedes, ne præceps ruat in omnis generis flagitia. Si hoc modo se arceri non sinit, pœna capitis plectitur. Hæc civilis coërcio summè necessaria est, & à D E O instituta, tum propter publicam pacem, tum propter omnes res conservandas, maxime, verò ne tumultibus & seditionibus ferocium hominum cursus Evangelij impediatur.

Hæc LUTHERUS.

VII. Dicitur autem *Politicus* & ab alijs *Externus*, quandoquidem externum hominem & politicam societatem in prius respicit, utpotè quæ sine istiusmodi legis observatione nequaquam potest consistere, quod etiam Ethnici noverunt, ac proinde nihil sibi prius, nihil antiquius habuerunt, quàm istum legis usum, & per eum Externam disciplinam tueri ac retinere. Memorabilia sunt Ciceronis lib: 3. offic: de hoc usu verba: *Hoc spectant leges, hoc volunt, incolumen esse civium conjunctionem, quam qui dirimunt eos morte, exilio, vinculis, damno coërcent.* Quibus verbis apertè, demonstrat primum legis usum, quem nos Externum, sive Politicum appellamus.

VIII. *Secundus* usus est *ἐλεγκτικός*, qui nonnullis dicitur *Internus*, quod hominum conscientias feriat, & ad agnitionem peccatorum eosdem adducat, ut convicti conscientia testimonio, se reos agnoscant, & ita quasi compulsi legis verberibus ad CHRISTUM confugiant & ipsius gratia confident.

IX. Hic usus homines justificandos, & inter eos præcipuè hypocritas, superbos & inflatos concernit, ostendens, peccatum esse, non id solum quod externis membris perpetratur, verùm ipsas etiam cogitationes

malas & latentem concupiscentiam, Rom: 7. 7. Exigit itaq; tantam perfectionem, à quâ homines longissimè absunt. Deindè legi addita est horrenda cominatio: *Maledictus qui non præstiterit verba Legis hujus, faciendo ea.* Deut: 27 & 26. Undè atrocitas peccati elus celsit, quæ hominem perterrefacit & quasi fulmine prostermit.

X. De hoc usu legis ait Apostolus, Rom: 3. & 20. *Per legem est cognitio peccati.* 1. Cor: 15. 56. *Ubi siue potens sit peccati Lex.* Et alibi asserit, *Legem facere ut peccatum abundet,* Rom: 5. 20. Facit autem lex abundare peccatum, non quidem numerum peccatorum augendo, sed eorundem magnitudinem & atrocitatem ostendendo ac exaggerando.

XI. Est & hic usus apprime necessarius, adeò ut sine eo ad Christum non pateat aditus. Nam cum nostrum morbum arguat, medicum quærendum esse innuit: Ipsa tamen L. E. X, quis ille Medicus sit, non explicat, præterquam quod medico nobis opus esse morbi indicio significat, idemq; facit, quod Pædagogi, qui ad Magistrum ducunt, ipsi cum docere nequeant. Gal: 3. 24. Ideoq; & *Pædagogicus hic usus est.* Hinc in sensu terrorum, legis appetitur solatium, & percepta iram, quam lex operatur, Rom: 4. 15. reconciliatio cum Deo desideratur.

XII. *Tertius usus est Diadacticus,* qui & vulgò *spiritus ubi* appellari consuevit, eo quod renatos respicit, isq; qui per fidem jam sunt iustificati, commonstrat certam inculpate vivendi regulam ac normam, ad quam tota illorum vita est exigenda: Atq; sic præscribit illis, quid iustum sit coram Deo, quid iniustum, quid facien-  
dum.

dum & quid omittendum. De hoc usu clarè docetur, Rom: 13, 8. ad Gal: 5, 13-14. Jer: 31, 33.

XII. Est itaq; *Lex Speculum* vitæ piæ & sanctæ à renatis ducendæ, fungiturq; hoc suo officio tripliciter: 1. *Docendo*, qui sint cultus & opera D E O placentia, ne renati novos cultus sine verbo excogitent, & in *εθελοσπονδίας* crimen incidant, Deut: 12, 8. 32. Ezech: 20, 19. Eph: 2, 10. 2. *Arguendo operum imperfectionem*, quæ renati præstant, eorundemq; adhærentem immunditiam ob oculos constituendo. ne suis operibus confisi in Pharisaismum incurrant & Christi meritum immineant. 3. *Excitando* in renatis studium bonorum operum. Cum enim vetus Adam per renovationem non profus expellatur, sed in carne nostra subinde dominium affectet, & initia novæ obedientiæ valdè langvida sint: Ideò præceptis, exhortationibus, comminationibus & promissionibus legis excitandi & intra limites continendi sunt renati.

XIV. De duobus prioribus legis usibus ex professo hoc loco agere, non est nostri instituti, sed eosdem sequuti filium lib. Concordiæ præteribimus; Tertium autem cum lib. Concordiæ breviter considerabimus.

XV. De tertio itaq; potissimum usu, inter Theologos Augustinæ Confessioni addictos, orta fuit acris controversia. Horum alij docuerunt atq; senserunt, non opus esse, ut renati novam obedientiam, seu bona opera, in quibus ambulare oporteat, ex lege discant: aut ut doctrina de bonis operibus ex lege depromatur vel urgeatur, quandoquidem per filium Dei libertati restituti, & jam facti sint templa Spiritus Sancti & propterea liberi, perindè ac solabsq; alieno impulsu, spontè cursum suum naturalem conficit: Ita etiam renatos sua spon-

sponte instinctu & impulsu Spiritus Sancti, ea agere; quæ DEus ab ipsis requirat: Alij verò docuere; Legem esse certissimam regulam & normam, ad quam vita credentium, secundum immutabilem voluntatem Dei sit piè instituenda, & ideò Spiritum Sanctum scripta lege ad doctrinam ipsorum uti solere, ut habet Declarat: L. C. p. m. 696. 697.

XVI. Status igitur controversiæ, juxta explicationem à formula Concordiæ traditam, hic emergit: *An Lex Moralitatis etiam renatis inculcanda, ejusq; observatio apud eos argenda sit, an non?*

XVII. Nos Concionem legis non modò apud eos, qui fidem in Christum non habent, & poenitentiam nondum agunt, sed etiam apud eos, qui verè in CHRISTUM credunt, verè ad DEum conversi & renati, & per fidem justificati sunt, sedulo urgendam esse, censemus. F. C. Parag: 2.

XVIII. Pro hujus affirmationis confirmatione huac in modum argumentamur. I. Si CHRISTUS satisfecit Legi, non ut abrogaret Legem, sed ut eam diu noctuq; meditaremur, inq; ejus observatione nos assidue exerceremus, sequitur renatos non posse carere informatione legis, neq; eam ex Ecclesia debere relegari. At verum est prius, E. & posterius.

XIX. Minor probatur ex 17. y. C. 5. Matth. Ubi Christus se non venisse, ait, solvere sive destruere legem, abrogando quoad doctrinam, sed ut obedientia sua impleteret, tute piendis in se & sustinendis omnibus poenis, quæ peccatis nostris debentur, ac perfectissima  
obedi-



obedientia, seu impletionem pro nobis satisfaceret ad justitiam omni credenti, Rom: 5. v. 19. C: 10. 4. Psal: 1. *Beatus pronunciat, qui legem Dei meditat, interdum ac nocte.* Psal: 119. v. 1. *Beati integri viam, qui ambulant in lege JEHOVAE.* Luc: 1. 74. 75. *Liberati sumus e manu inimicorum nostrorum, ut sine metu ipsum colamus, cum sanctitate & justitia in ipsius conspectu, cunctis vitae diebus nostrae.* Heb: 9. v. 14. *CHRISTUS qui seipsum obtulit inculpatum DEO, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad inserviendum Deo viventi.*

XX. 2. *A Majore ad Minus argumentamur:* Si ante lapsum primi Parentes non profus sine lege vixerunt, Sequitur nec renatos sine lege Deo debitam gratitudinem praestare posse. At prius verum, E. & posterius.

XXI. Connexionis ratio firma est, tum quia Deus in lege Morali, aeternam ac immutabilem suam voluntatem de operibus sibi placentibus revelare voluit, ad quam omnes in universum homines essent obligati; tum quia renati, quorum regeneratio hic imperfecta est, ad tantam perfectionem & virium integritatem, dum hanc vitam vivunt, non perveniunt, quantam primi Parentes habuerunt.

XXII. Minorem probo, quia non tantum lex ipsorum cordibus inscripta erat; Verum insuper Deus illis specialem legem proposuit, *de non comedendo fructu arboris scientiae boni ac mali,* Gen: 2. v. 17.

XXIII. 3. *Ab imperfecta renatorum obedientia.*

Si renovatio in hac vita perfecta non est, & renati sive credentes perpetuò luctantur cum carne, hoc est, cum corrupta natura, quæ in nobis ad mortem usq; hæret, opus est ut lex Dei homini renato semper præluceat, eidemq; sedulo proponatur. At verum est prius, E, posterius,

XXIV. Consequentia patet. Nam vetus Adam qui in natura hominis altissimas egit radices, & renatis adhuc infixus hæret, frenandus est, ne pro suo ingenio agat, omnibusq; se vitiorum generibus involvat, 1. Cor: 9. v. 27. Quod fieri non potest, nisi per concionem legis. Hac enim est, quæ ostendit atrocitatem peccati, Rom: 3. v. 20.

XXV. Minor constat ex 1. Joh. 1. v. 8, *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est.* Rom: 7, 22, 23. *Delector lege Dei quoad interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, belligerantem adversus legem mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis.* Gal: 5. v. 17. *Caro concupiscit adversus Spiritum: Spiritus autem adversus carnem; Hac autem inter se opposita sunt, ut non quacunq; volueritis, eadem faciatis.*

XXVI. 4. Ab exemplo Christi & Apostolorum, qui legem Moralem apud renatos etiam seriò uterant. Matth: 5, 16, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, glorificentq; Patrem vestrum, qui est in cælis.* V. 17. *Ne existimetis, quod*

venerim ad destruendam legem, aut Prophetas; Imò non veni ut destruam, sed ut compleam. V. 18. Amen quippè dico vobis; donec prætereat Cælum & terra, jota unum, aut unus apex, non præteribit ex lege, quoad omnia facta fuerint. Rom: 8, 13. Si secundum carnem vixeritis, futurum est, ut moriamini: Sed si spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis. Confer ad Gal: 6. §. 7. 8. 9. 10. Tit: 2. §. 11. 12. 14.

XXVII. 5. A Proprio legis officio, Omnis senatorum vita est, vel certè esse debet perpetuum exercitium pœnitentiæ sive contritionis de admissis peccatis; Quis enim dicere possit, purifica vi animum meum; Mundus sum à peccato meo, Prov. 20. v. 9. Pro remissione peccatorum orare necesse habet omnis Sanctus. Psal: 32, 6. Et David inquit: Viam præceptorum tuorum percurram, Psal: 119. §. 32. Interim tamen orat: Ne congregaris iudicio cum servo tuo, Psal: 143, §. 2. At talem contritionem monstrat sola lex, Rom: 3, 20. C. 7. §. 7. Peccatum non cognovi nisi per legem. Ergò lex ad renatos etiam vel maximè pertinet.

XXVIII. 6. Quia etiam legis doctrina hoc nomine credentibus est necessaria, ne propria quadam sanctimonix imaginatione, religiosum vitæ genus de suo ingenio excogitent, & sub prætextu Spiritus Dei, electios cultus sine verbo & mandato Dei instituant, & sic in detestandum εθελοθρησκείας crimen incidant id quod exemplo Israelitarum in deserto, Exod: 32. §. 1. & seq; & aliorum populorum manifestè liquet. Ergò vel hoc nomine legis doctrina renatis erit necessaria, ut inde discant, quæ opera, qui cultus, quæ vita verè DEO

placeat. Sic enim scriptum est: *Ne facitote quisq; quicquid rectum videatur in oculis ejus. Unamquamq; rem quam ego precipio vobis, eam observantes facite: Ne addito eis, neq; detrabito ex ea,* Deut: 12. v. 8. 32.

XXIX. 7. Calculo suo nostram sententiam B. Lutherus comprobat his verbis: *Oportet exercitia & opera piorum, verbo Dei regi; ad hunc usum reliquit Deus legem,* super Psal: 130. & Comment: in C. 3. Gal: inquit: *Propter carnem adhuc opus est renatis pædagogo, qui forte asinum cœerceat & vexet, ut hac pædagogia minuantur peccata & Christo via paretur.*

XXX. Quæ firmando suo errori fulcra adhibent adversarij, hisce probè observatis, nullo negotio subruuntur, quorum 1. Est, *justo non esse legem positam,* 1. Tim: 1. v. 9. *Renati sunt justi. Ergo, &.* Phrasin Græcam vitiosè esse redditam. Ait enim Apostolus: *δικαίω νομῶ & κέρτα;* non autem *ἡ θέρτα,* id est lex, sive legis maledictio justo non incumbit. Justo itaq; non est imposita lex vel ad coactionem servilem, vel quoad condemnationem; Interim tamen quia justii illi sunt ex parte adhuc carnales, & sub peccatum venundati, Rom: 7, 14. *Ideo indigent legis speculo, in quo peccati sordes ipsis adhuc adhærentes conspiciantur, indigent norma, ad quam bona illorum opera sunt examinanda & exigenda.*

XXXI. Explicat hæc omnia satis dilucidè & nervosè Concordia his verbis: *Et si justo non est lex posita, sed injustis; hoc tamen non ita nudè accipiendum est, quasi justis sine lege vivere liceat. Lex enim divina cordibus ipsorum est inscripta. Et quidem primo homini statim post ipsius creationem etiam lex data fuit, secundum quam vivere debebat. Hæc igitur est verborum*

horum Pauli vera & genuina sententia, quod *lex eor, qui per Christum cum Deo reconciliati sunt, maledictione sua obrutere nequeat: Et quod renatis, coactione suas molesta esse non possit; Quandoquidem illi secundum interiorem hominem lege Dei delectentur.* Declar. p. 697.

**XXXII.** *ii. Renati non sunt sub lege, Rom: 6. v. 14. Sed liberati sunt à lege, ad Gal: 3, 25. C. 4, 5. Ergò non indigent doctrina legis. R. Sub lege non esse, non significat omnimodam à legis obligatione immunitatem, & licentiam quidvis faciendi, qualis certè licentia, neq; Adamo ante lapsum, neq; Angelis fuit concessa; Sed significat, liberatum esse à legis maledictione & condemnatione. Siquidem nulla nunc est condemnatio ijs, qui sunt in Christo Iesu, Rom: 8, 1. Deindè sunt renati liberati à rigore legis, cui gratia opponitur: Interim tamen libertatem illam non debent arripere, ut datam carni occasionem, sed ex charitate servire alij alijs, Gal: 5, 13. Gratia verò non opponitur obedientiæ legi debitæ. Sic enim neq; Adamus, neq; Angeli creati fuissent in statu gratiæ: Siquidem utrisq; ante lapsum lex data fuit. Gratia igitur directe opponitur legis rigori, iræ & maledictioni, quæ nihil juris habent in renatos, qui tamen non sunt liberi ab obedientia legi præstanda.*

**XXXIII.** *iii. Renati aguntur Dei Spiritu, Rom: 8, 14. Ergò non indigent calcari legis. Sed perinde ac sol absq; alieno impulsu, spontè cursum suum naturalem conficit. Ita renati suâ sponte, instinctu & impulsu Spiritus Sancti ea agunt, quæ Deus ab ipsis requirit. R. Renovatio Spiritus non tollit in renatis omnem vetustatem carnis, sed manent vetus & novus homo, Caro & Spiritus. Caro igitur freno & calcari*

legis indiget. *Freno* quidem ne ruat in externa delicta. *Calcari* autem, ut ad serviendum Deo & obsequendum spiritui extimuletur. Quid? quod Spiritus Sanctus regit quidem & agit renatos, *non tamen immediate*, per arcanas *invisibiles* & Enthusiasticos raptus; *Sed mediate* per assiduam legis concionem & meditationem, quid faciendum, & quibus abstinendum docet atq. ostendit.

XXXIV. His ita expositis, oritur quaestio: *An nova ista obedientia simpliciter ad solius legis, An verò etiam ad Evangelij doctrinam pertineat?* R. Bona opera renatorum pertinent ad legem *Ratione Objecti*, quia lex est norma & regula istorum operum. Ad Evangelium verò *ratione Efficientis*, quia per Evangelij praedicationem datur Spiritus renovationis, cujus fructus sunt bona renatorum opera.

XXXV. Quod etiam Concordia luculenter declarat hoc modo: Lex inculcat quidem esse voluntatem & mandatum Dei, ut in nova vita ambulemus: At *vis res & facultatem* non donat, quibus novam obedientiam inchoare & praestare possimus. Spiritus Sanctus autem, qui non per legis, sed per Evangelij praedicationem datur & accipitur, cor hominis renovat, Gal: 3, 2.

XXXVI. Deinde idem Spiritus Sanctus ministerio legis utitur, ostendendo renatis, qui cultus Deo placeant, & quae opera à nobis praestari velit: Ut noverint, quibus bonis operibus opera danda sit, *quae Deus preparavit, ut in illis ambulemus*, Eph. 2, 10. Sic Spiritus S. videns propter inhaerens vitium renatos remissiores & negligentiores fieri, usu legis eos adhortatur, arguit, excitat, reprehendit.

XXXVII. Patet Ergò duplex esse Spiritus Sancti in iisdem hominibus officium, mortificare & vivificare, deducit

deducere ad in feros & reducere; sive arguere & consolari: illud ex lege; hoc ex Evangelio; Joh: 16, 18. *Cum venerit Paracletus, arguet mundum de peccato, justitiâ & de judicio.* Quare quoties credentes delinqvunt, corripuntur & arguuntur à Spiritu S. per legem; & ab eodem Spiritu rursus eriguntur, & consolationem accipiunt per Evangelij prædicationem.

**XXXVIII.** Porro quaeritur hoc loco; *An opera, quæ hoc modo sunt à renatis, dicenda sint opera legi, an verò opera spiritus?* R. Præmittit concordia, vocem legis hic non accipi generaliter, pro tota doctrinâ sive ministerio verbi: Sed strictè & propriè tantum pro immutabili Dei voluntate, secundum quam tam renati, quam non renati, vitæ suæ actiones instituere debent. Quo sanè respectu inter opera renatorum nulla prorsus est differentia. Nam utraq; Deus in lege suâ pariter vult & præcipit.

**XXXIX.** *Sed discrimen est in operibus, propter differentiam hominum, qui secundum legem illam & voluntatem Dei vivere student.* Homo n. nondum renatus, qui utcumq; secundum legem Dei vivit, eiq; obedientiam præstat, non dilectione & amore, sed formidine pœnæ, aut spe præmij alicujus, is adhuc sub lege est, tanquam servus, & opera ejus propriè à D. Paulo opera legi vocantur, quia talia opera à lege sunt extorta, & hi sunt Cainici sanctuli, hoc est hypocritæ.

**XL.** Cum autem homo per fidem est justificatus, per Spiritum S. renatus, & legis jugo exemptus, Spiritu Dei ducitur, jam obsequitur voluntati divinæ per legem sibi revelatæ, & quicquid agit, quatenus renatus, libero & promptu Spiritu agit. Et talia opera non sunt propriè appellanda opera legi, sed fructus & opera Spiritus: Nec tamen sine lege vivit (agitur enim Spiritu Dei) sed iuxta divinam voluntatem.

**XLI.** Quamvis verò ejusmodi renati opera multifariam

riam polluta sint & inquinata, propter peccatum in carne latitans, & proinde à lege quidem improbentur, damnentur, reiciantur; Tamen ex Evangelio cernimus, accepta coram DEO esse renatorum opera, non propter propriam dignitatem, sed propter CHRIS- tum, unicum Salvatorem nostrum per fidem apprehensum.

**XLII.** Hac ratione placuerunt & iusti reputati sunt coram Deo, Noach, Abraham, ob fidem inquam in Messiam promissum, propter CHRISTUM Dei filium. Re & igitur declar. F. C. p. m. 701. inquit: Evangelium docet, spiritualis nostra sacrificia Deo accepta esse per fidem, propter Christum.

**XLIII.** Isthæc autem in perfectio, cujus modo meminimus, manet apud Sanctissimos etiam in hac mortali vita, nec unquam ex toto tollitur, priusquam carne tandem exuamur, & in æternam vitam ad Christum per mortem transmigremus; Ibi nec legem verebimur nec legis damnationem: Imò nec Evangelio quidem egubimus, utpotè, qui DEUM videbitur à facie ad faciem, & viete divini Spiritus puri prompti atq; perfecti, omnia DEO grata cum gaudio sempiterno curabimus.

**XLIV.** In Antithetico F. C. rejicimus, damnamus & repudiamus, ut perniciosum & falsum dogma, quod Christianæ disciplinæ, & veræ pietati adversatur: Cum docetur, quod lex Dei (eo modo, quo supra dictum est) non sit pijs & verè credentibus, sed tantum impijs, infidelibus, & non agentibus poenitentiam proponenda, atq; apud hos solum urgenda.

**XLV.** Coronidis loco apponimus observationem B Lutheri, quod lege Dei *τομω* hoc modo utatur; Si diebus singulis expendamus, 1. Qui in ea à nobis requiratur. 2. Si gratias DEO agamus, quod Filium Redemptorem misit, qui à maledictione legis nos liberavit. 3. Si peccatorum, quibus legem transgressi sumus, Confessionem subiciamus, eorumq; condonationem per CHRISTUM speremus. 4. Si addamus preceationem, ut Spiritu suo in operibus bonis ferventes nos faciat ac legem suam in cor nostrum scribat.

**Soli sapienti DEO gloria per  
JESUM Christum in secula, Rom: 16, 27.**